



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Phiala Reliquiarvm S. Agathae Virginis Et Martyris Dissertatio**

**Wiltheim, Alexandre**

**Augustae Trevirorum, 1656**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10156**




86

M. 2186.

f. XVI. 2.







Ex legatis Electi Principis Ferdinandi, Episcopi  
Paderb. et Monaster. Anno 1683.

DE PHIALA RELIQUIARVM  
S. AGATHÆ  
VIRGINIS ET MARTYRIS  
DISSERTATIO

AVCTORE ALEXANDRO WILTHEMIO  
SOCIET. IESV PRESBYTERO.



---

*Augusta Treuirorum, Excudebat Hubertus Reulandt,  
Anno MDCLVI.*



DE RHANA BELLOVACVM

S. A. G. A. T. H. E.

VRGINS ET MARTYRIS


DISSERTATIO

AUCTORE ALEXANDRO WITHEMO

SOCTET. RESV. P. B. B. T. T. K. O.



Augusta Thronum, Excerptum in Libris Regibus  
ANN. MOCCXVI



*Laguncula  
Belreperiana.*



*Laguncula fracta pur:  
purea Machariacensis.*



*Phiola reliquiarum  
S. Agathae.*



*Aspectus lateralis phiolae reliquiarum  
S. Agathae.*



*Ollula sic Filis  
et phiola Maxi:  
miniana.*




*Fragmenta ampullae vitreae  
sanguinis S. Agathae.*



*Phiola Chiflety  
quinta et nona.*





NOBILI ET AMPLISSIMO VIRO  
D. CHRISTOPHORO BINSFEL-  
DIO, IN PROVINCIA LVCILIBVRGENSI  
REGIO SENATORI,  
TOPARCHÆ IN DALAHEIM,  
ALEXANDER WILTHEMIVS S. I.  
S. P. D.



VM *Phialam antiquam*, V. A. à nobis aliquando in-  
scriptam, tibi pro ingenij tui amœnitate placuisse me-  
mini, tum simul intelligo hanc quoque phialam no-  
mini patrociniòque tuo dedicandam. Sed ludus ille  
erat: hîc seria, imò sacrosancta omnia. Quò propensiore animo  
te accepturum scio. Sacra enim toto admittis pectore: profana il-  
la, iucundè interdum delibas; in illis conquiescis: in his subindo  
post forenses curas diuerticulo quodam exspatiaris. Quanquam  
est artificij tui, religionem tuam insigni modestiâ tegere: contrà  
verò studium rei antiquariæ penè ad iactatiunculam prodere. Te-  
stes mihi horti tui elegantissimi, vbi legere est MAGNIAS  
MAXIMIOLAS, GERMANIAS GERMANIOLAS, MA-  
TERNIOS MARINOS, CENSORINAS, FAVSTINAS:  
spectare autem viros penulatos, matronas stolas, milites arma-  
tos, dracones peruigiles adituum custodes, ascias sepulchrales, le-  
stifernia, Genios, Cereres, Dianas, Fortunas, Apollines, Perseos,  
Andromedas, Hercules, cippos, aras, mensas, & sexcenta antiqui-  
tatis Romanæ monumenta; testes mihi cultissimi tui Musæi recess-  
sus, vbi vrnæ, disci, phialæ, lucernæ, nummi consulares & impera-  
torij, Græci, Latini. Quid de toparchiâ tuâ Dalaheimianâ dicam,  
quæ ipsam penè antiquitatē gremio quodâmodo complexa, tibi  
seruat,

feruat, tibi fouet? Ibi quippe ad viam militarem Diuoduro Mediomatricorum Treuiros tendentem, castrorum Romanorum ruinae, innumera priscæ ætatis cimelia profundunt, quæ tu, si quando rusticatum ex vrbe progredieris, animi causâ inquirere, colligere, & ceu fructus tui fundi in horrea illa tua, hortos, inquam, & Musæum tuum, condenda reportare soles. Hæc omnia studia tua qui viderit, totum te in istis esse, forte suspicabitur. At nos, qui te familiariter nouimus, hæc inter ioca tua à te reponi, & sacris longissimè postponi, probè scimus. Et quoniam clanculum tibi soli & Deo, quam publicè, religiosus esse mauius, velificabor modestiæ tuæ, nec prodam arcanum illud tuum, nisi quod famæ quæ tuam vbiq; probitatem pietatemq; celeberrimè prædicat, silentium imponere non possum. Cum sit ergo tibi cultus diuini summa publiceq; testata cura, admittes hanc phialam nostram, non solum quod antiqua est, & ad genium tuum facit, sed multò maximè, quod S. AGATHÆ Virginis & Martyris lipsana sanctissima continet. Reliquum est vt ipsa gloriosa Martyr tibi sit volens, propitia, eoque magis, quod tuo patrocinio tot cultoribus augebitur, quot erunt huius dissertationis nostræ lectores. Vale. Luciliburgi, V. Nonas Octobres, anno MDCLV.

DE

5

DE PHIALA RELIQUIARVM  
S. AGATHÆ VIRGINIS  
ET MARTYRIS  
DISSERTATIO.

CAPVT I.

*Phiala reliquiarum S. Agathæ à lipsanothecâ Machariacensē, donum viri venerabilis Caroli Rachtij, pastoris Machariacensis, probante cultum reliquiarum publicum Episcopo Azotensi. Eam videri esse lenticulam. De lenticulis disputatum. Tentatus locus Isidori.*

**M**ACHARIACVM vetus est oppidum prouinciæ Luciliburgensis ad Mosellam supra Treuiros, tertio lapide à Luciliburgo nostro, in lauo littore situm. Nunc *Greuëmacheram*, seu *Comitis Macheram* appellamus, eo quod comites nostri Luciliburgenses, locum muris & turribus circumplexi credantur. Certè exstant Henrici Comitis, cognomento Blondelli, tabulæ, quibus anno MCCLII. Machariacenses liberos & *Burgenses* esse iubet. Hâc reuertebat VI. Kalendas Iulias anni MDCLV. postquam ferijs D. Ioannis Baptistæ sacrosancta & incomparabilia Treuirorum lipsana spectâsem & coluissem. Benemane, vt mos itinerum nostrorum habet, in templo pæreciæ sacrificauit. Secundùm sacrificium animaduerti in sacrario lipsanothecam formâ & magnitudine orbis mensarij. Media erat Christi patientis imago: circum dispositi in orbem puluilli, in quibus, vt & eorum interuallis, reliquiæ partim sub membraneis schedis aderant, partim desiderabantur, titulis tamen omnibus remanentibus. In vno puluillorum interuallo phiala perexigua, cum titulo nominis S. Agathæ Virginis, affixa erat. Quam vt vidi, deperij. Sed vt nostra esset iure quo optimo, postea à Venerabili viro Carolo Rachtio, Machariacensi pastore, eam mihi dari rogavi, & impetraui, testibus hisce litteris, manu eius subscriptis.

*Carolus Racht, pastor in Comitum Machrâ, omnibus has visuris  
salutem in Domino.*

**C**Vm R. Pater Alexander VViltheim Societatis IESV Sacerdos & pro tempore Minister Collegij Luxemburgensis, petiuerit à me reliquias S. Agathæ Virginis, in exiguâ phialâ vitreâ, vno ferè digito longâ, contentas, insuperque rogauerit, vt super dictis reliquijs ei testimoniales darem, non potui honesta eius petitioni non assentiri.

*sentiri. Itaque hisce notum facio, me dictas reliquias S. Agatha dicto Patri Alexandro Vultheim donasse & donare: ipsas autem reliquias desumptas esse ex antiquo quodam reliquiario templi mei parochialis, quod praeclaras duces forum sanctorum reliquias continebat. In quorum omnium fidem has manu meâ signatas scripsi. Datum in Comitum Machra XXV. Augusti MDCLV.*

*Carolus Racht Pastor in Grâuenmacheren.*

His ipsis Rachtij tabulis, Reuerendissimus Episcopus Azotensis approbationem reliquiarum hâc formulâ cum suo nomine inscripsit.

*Ut reliquia S. Agatha in hisce nominata, publicè exponantur, & venerentur, facultatem in Domino concedimus. Treuiris XXVIII. Augusti, anno MDCLV.*

*Frater Otho, Episcopus Azotensis, in Pontificalibus & spiritualibus Vicarius generalis Treuirensis.*

Hæc est reliquiarum prima præcipuaque auctoritas; cui etsi nihil addere necesse est, magnum tamen illustrationi locum aperiunt tum ipsæ reliquiæ, tum phiala, quæ continentur. Et phialæ quidem materia est vitrum rude ac spissum: color albicans; nisi quod vbi densior materies, leniter flauescit. Obturamentum membranula est in glomum indigestum contorta; quæ explicata, tenuissima apparet, adeo vt cum delicatissimâ quâque carbaso de subtilitate contendere posse videatur. Quæ me res primò deterruit, ne membranam crederem: sed ignis experimento redditus nidor, fidem fecit.

Iam forma vasculi, quia figuratione, quam oratione, melius ostendi potest, depingi eamque in æs incidi curauimus.

Orificium vides rotundum & labello introrsum repando coronatum. Collum ex gracilitate sensim in latum procurrens ventre tenuis, qui tamen minimè ampullosus, sed prærafus, nec pennâ anserinâ crassior, vt lateris aspectus demonstrat. Nomen phialæ, opinor esse lenticulam. Est autem lenticula vas paruum & exile, vt vocis ipsa diminutio ostendit. Vnde Isidorus capite VII. vigesimi Originum, prout est in veteri codice Griali, & nostro perantiquo, manu exarato, lenticulam describit *vasculum*, & in libris editis, *modicum vas*, qualis est phiala nostra; cui & lentis forma conuenit. Vt enim illa globosa ferè non est, sed plana, seu, vt Plinius locutus est libro XVIII. capite XII. *suâ figurâ*, hoc est, cōpressa & complanata: ita & phialæ nostræ venter non turget, sed in planum retrocedit. A lente autem legumine promanasse in talia vascula nomen, argumento est Plinij locus de lente: *Duo genera eius in Aegypto, inquit, alterum rotundius, alterum suâ figurâ. Vnde vario usu translatum est in lenticulas nomen, id est (vt ego quidem interpretor) vascula æque globosa at-*  
que

que orbiculatim plana, *lenticula*, ex formâ variâ leguminis, appellatæ sunt. Lenticulam delicatè, vt solet, depingit Apuleius II. Floridorum: *ampullam oleariam, quam gestabat, lenticulari formâ, tereti ambitu, pressulâ rotunditate. Tereti ambitu*, dixit, ob circularem ambitum: *pressulâ rotunditate*, ob ventris compressum & planitie domitum tumorem, quod postremum phiala nostra graphicè repræsentat, etsi oblongior, & à *tereti* seu circulari *ambitu* nonnihil recedens. Sed leue hoc est, & ex libitu vitriarij natum. Nec mirum videri id debet, cum Isidorus lenticulæ vasculum describat *quadrangulum*. Ita enim habent vulgati codices: *lenticula modicum vas, aneum vel argenteum, quadrangulum, in latere apertum*. Quanquam vereor ne mendosus sit hic locus. Tam enim à lentibus absunt anguli, vt in prouerbio inanis infumptæ operæ haberentur olim illa verba *Φαῖς ἰσχυρῆς ἰσχυρῆς: lentem angulo tenes*. Quare vocem *quadrangulum* ex Isidoro, vt spuriam & immissam, reuellendam putem; quin & ea, quæ adduntur, *in latere apertum*, vix est, vt pro genuinis patiar. Quid enim? An ideo *in latere apertum*, vt liquor per latus inutilis effugiat? Nisi ita accipis, vt *apertum* dictum sit pro eo, quod est planum dilatatu, & æqualiter patens. Sic *apertos campos*, & *aperta maria*, quæ planitiem & æquor haberent, Latini dixerunt. Quare, *in latere apertum*, pro eo positum forsan erit, quod diceres, latus vnum lenticulæ, imò alternum vtrumque & sibi oppositum, esse apertum, hoc est, explanatum, æquabile. Vides itaque phialam nostram etsi oblongam, rectè lenticulam dici posse. Neque obest quod lenticulam *fictilem* D. Hieronymus, *aream* aut *argenteam* Isidorus esse volunt, nostra vero vitrea est. Nam si ex fide Hieronymi *fictilis* tantum est omnis lenticula, quid de *areâ* Isidori & *argenteâ* facies? Si, vt Isidoro placet, *area* vel *argentea* tantum, ergo *fictiles* nullæ Hieronymi. Sed absurdum est aut Hieronymum præ Isidoro sequi, vt *fictiles* tantum sint lenticulæ, aut hunc præ illo, vt *area* vel *argentea* tantum. Est ergo locus alijs materijs, & vt ex vitro quoque conflatas fuisse lenticulas existimemus, qualis nostra.

## CAPVT II.

*Lenticula olearia, aquaria; phiala lacrymatoria Romanorum tam gentilium, quam Christianorum; ex quo genere videtur esse phiala nostra lenticularis; nisi est phiala antiqua sacramentalis.*

Venio nunc ad lenticularum vsum. Oleo capiendõ adhibitas à veteribus, multæ docent auctoritates. Primus liber Regum capite X. & quartus cap. IX. Apuleius, Floridis, vt supra ostensum. D. Hieronym. com-  
men-



mentario in caput III. Habacuc: *Si enim Dauid est & Salomon, id est, fortis manu & pacificus, cornu ungitur: si vero Iehu & Azahel sunt, perfunduntur lenticulâ. Vas autem fictile sic vocatur, id est Φάκος.* Isidorus denique Griali & noster: *lenticula, vasculum olearium, ex are aut argento factum.* Si his ergò stamus auctori- bus, oleariæ tantum, nec aliæ, fuerint lenticulæ. Sed angustum id est, & ratio poscit, ut quemlibet liquorem lenticulis seruatum credamus. Et de aquâ qui- dem, locus est fauens in libro II. Cornelij Celsi de re medicâ, cap. XVII. ubi va- sa fictilia lenticulis similia memorat. *In vasa fictilia, inquit, ad similitudinem, quas lenticulas vocant, aqua conijcitur.* Sed pro eadem aquâ elarior ex libro I. Regum, cap. XXVI. habetur auctoritas. Nam scyphum aquæ ex Saülis ten- torio furtim à Dauide sublatum, Interpretes LXX. τὸν Φάκον τὸ ἕδατον, hoc est, *lentem aqua* (quæ versio & Lucifero Calaritano, libro I. pro Athana- sio, placuit) verterunt. Quare admittendæ sunt & lenticulæ aquariæ; imò & sanguinariæ, ut post dicetur, & lacrymatoriæ. Nostram enim lenti- culam, existimem esse ex eo genere phialarum, quas *lacrymatorias* eruditi vo- cant. Atque id tanto propensius opinor, quod consultus à me, idem censuit Nob. & Amp. V. Iacobus Chifletius. Cuius maximi in litteris viri cum tracta- tus de huiusmodi lacrymatorijs phialis habeatur in eo libello, quem inscripsit: *Lacryma prisco ritu fusa in exequijs Serenissimi Archiducis Alberti Pij, Belgici Sequanicig, principis*, inde summam subducam. Docet itaque ex Virgilio, Lucretio, Terentio, Tibullo, Horatio, Ouidio, Propertio, Statio, Quintilia- no, & Romanis sepulchralibus titulis, hunc ritum. Primum, lota & vncta ca- dauera, priusquam domo cremanda efferrentur, priuatim desleta. Iterum de- inde publicè, tempore cremationis. Quâ peractâ, ossibusque collectis, lacry- mas cum aromatis superfundi solitas. Lacrymæ quippe cremationis tempore ex oculis labentes, colligebantur in vascula, vnde tum in bibulam fauillam, tum in ossa semiusta profundi possent. Duodenas deinde talium vasculo- rum icones ex abacis doctorum hominum depingit; quorum pleraque collum protensum, at ventrem substrictum præferunt, quomodo lenticula nostra. Sed ante omnia quintum, longè vero maximè nonum, vtrumque ex vitro, ad rem faciunt. Quare & earum species expressimus.

Est harum posterior planè lenticula, *tereti ambitu, pressulâ rotunditate, ut Apuleius describebat, leguminis absoluta imitatrix.* Pergit Chifletius, aitque, *relinqui solita post perfusionem hæc vascula in sepulchris, ubi quam sapissimè, inquit, reperta sunt;* addo ego, etiam in Christianorum veterum tumbis. Cum enim anno MDCVII. basilicæ D. Maximini apud Treuiros pauimen- tum

tum refoderetur, inuentæ sunt innumerabiles arcæ lapideæ cum titulis, Constantini Magni æuum proximaque tempora clarè indicantibus. Et fuisse ibi olim cœmeterium Christianorum, pro certo atque indubitato tum ex titularum formulis, tum ex columbis & Christi nomine insculptis, apparebat. Reperta autem per arcas plurima ex argilla vitroque vascula, quorum effigies aliquæ ad nos peruenerunt.

In ollulâ fictili, odoratus liquor inerat; mixto nempe lacrymis balsamo, aut quo alio grati odoris unguento. Sed quam maximæ admirationis erat sarcophagus vnus, phialis eiusmodi vitreis circà per cauum dispositis instructissimus, supererantque litteræ ex longiori epigrammate tales:

-----  
QVI. CORPORE. MVLTAS  
POST. SE. RELLIQVIT. LACRYMAS.

Verum his de rebus alio loco à nobis scriptum abunde. Hic fatis est, lacrymatoriarum phialarum reddidisse imagines, vt ex formâ earum, & nostræ lenticulæ, sciatur, hanc ex phialarum illarum funebrium genere fuisse, vel certè ad funebrem quidem vsum primò præcipueque factam, sed postea, vt omnium rerum hominibus liberum arbitrium est, adhibitam alteri quoque rei, de quâ sequens erit caput. Vnde iam lenticulæ intelligitur antiquitas atq; auctoritas.

Aringhus in opere illo suo admirabili de Româ subterraneâ, libro III. capite XXII. censet eiusmodi phialas, qualis nostra, in cœmeterijs Romanis & cryptis inueniri solitas, non fuisse conflatas seruandis lacrymis, sed aquâ benedictâ, alijsque liquoribus ad Sacramenta pertinentibus. Quod etsi daremus (nec absolum est dari) hinc tamen etiam vasculi nostri argui posset antiquitas.

### CAPVT III.

*In phiala nostrâ puluis ossium S. Agathæ Catanensis illius, & frustra ampulla vitrea, incrustata eiusdem sanguine. Hunc quam copiose ipsa fuderit. Fusum, de more collectum à Christianis. Horum in S. Agatham certantem fauor, & funebria post mortem obsequia.*

**D**VVM in phialæ consideratione detinemur. Tandem, quid insit, explicandum. Insunt ergo reliquiæ S. Agathæ Virginis; idque omni dubitationi eximit titulus phialæ, qui talis est: *S. Agathæ Virginis*. Est autem Agatha illa Catanensis, toto orbe celeberrima. Nam, quis est, qui simulatque hunc titulum legerit, non continuo voluat animo eam S. Agatham,

cuius vbiq̄ue fama percrebuit, quæ est Catanensis? Et vero fasti omnes sanctorum, omnes ephemerides sacræ, martyrologia & kalendaria omnia, aut quomodocunq̄ue ea appellare fas est, vnicam S. Agatham Catanensem, nec vllam aliam, edunt; vt iam nihil causæ sit, quin eius sint istæ reliquæ nostræ.

Doctissimus tamen Ioannes Bollandus noster, qui eum eruditissimo Sodali suo Godefrido Henschenio, res gestas sanctorum toto orbe incredibili diligentia post Heribertum Rosweidum multis iam annis serutatur, consultus à me, tres præterea Agathas, à Catanensi diuersas, attulit; vnam, vt opinatur, in Carinthia, nec virginem, nec martyrem: alteram in Angliâ degentem, virginem quidem, sed non martyrem: tertiam denique ex sodalitate S. Vrsulæ, virginem & martyrem. Verum has omnes Agathas nihil omnino ad titulum nostrum aut pertinere, aut pertinere posse, sic demonstro. Primùm enim Carinthiam illam, nec virginem, nec martyrem, respuit omnino idem noster titulus, qui vocabulum *virginis* inscriptum habet. Eandem etiam Carinthiam, & simul Anglam alteram, quoniam martyres non sunt, reijcit sanguis accretus fragmentis vitreis in lenticulâ nostrâ comprehensus, de quâ re mox; siquidem sanguis iste ostendit, S. Agatham, quam præfert lenticulæ titulus, profudisse illum ipsum sanguinem in martyrio, quod Carinthia & Angla neutiquam fecere. Reliqua est tertia S. Agatha, quam libellus nescio quis vaticiniorum, choro virginum D. Vrsulæ inseruit. Verum, qui libellum istum, quem nonnulli B. Hermanno Steinfeldensi attribuunt, perlegerit, facile animaduertet, esse eius auctoritatem, vt mollissimè loquar, valde dubiam. Certè, qui illum ipsum libellum in præclaros suos de D. Vrsulâ commentarios retulit Hermannus Crombachius, noluit historiam D. Vrsulæ his vaticinijs, tanquam fundamento, niti, sed velut quibusdam *emblematis*, vt verbum eius vsurpem, *vermiculari*. Nec dubium est, quin vaticiniorum S. Elizabethæ Schonauziensis longè maior sit, quam libelli illius, fides. Et tamen grauissimum verissimumque est iudicium Christophori Broweri, V. annalium Treuirensium, Elizabetham de rebus D. Vrsulæ, quædam quidem diuino afflatu, nonnulla vero suo opte impulsu scripsisse. Si itaque tantæ virginis non est vbiq̄ue de Coloniensibus martyribus S. Vrsulæ Sodalibus certa fides, quid vaticinijs illis facias? Agathâ ergo, quam libellus iste prædicat, non admittam, superioribus duabus reiectis, in vnicâ Catanensi disputatio conquiescit, cui sacra ipsa phiala nostræ asserenda sunt.

Atque hæc omnia tametsi ita argumentari non potuissemus, titulus tamen phialæ nostræ ipse per se satis sese explicaret, vt supra dici cceptum. Quot enim,

nim,

nim, quam innumerabiles SS. virginum reliquæ vbique gentium coluntur sub his similibusque titulis: *De S. Barbarâ De S. Catharinâ De S. Luciâ* & sexcenta huiusmodi, quæ ἀντροποιουμένων de S. Barbarâ Nicomediensi, S. Catharinâ Alexandrinâ, S. Luciâ Siracusanâ vulgo ab omnibus accipi, æque indubitatum est, quam certum esse volumus, in litanijs obsecrationibusque publicis, dum virginum illarum solâ nomina appellamus, patrias quoque earum aut loca supplicij perinde intelligi oportere. Hæc si recte ita fiunt, quid est, cur titulo phialæ nostræ, cuius ab antiquo publicus fuit cultus, hæc eadem denegetur auctoritas, vt ei inscripta S. Agatha non alia sit, quam κατ' ἐξοχήν illa Catanensis? Quod multo maximè valet, si tempora tituli reputauerimus. Scriptus enim est, vt infra exponam, à multis retro seculis; tunc nimirum, cum alia S. Agatha nulla in mortalium notitiam venisset, quam Catanensis: cum nondum inenarrabilis illa Bollandi & Henschenij diligentia omnes bibliothecarum angulos & sacrorum scriniorum latebras toto orbe terrarum excussisset, vnde obscuræ illæ Agathæ in lucem nunc demum venerunt. Quæ causa est, cur Bollandus ipse, pro iudicio suo singulari, reliquias phialæ nostræ fatetur esse S. Agathæ Catanensis, datis ad me eâ de re litteris; quibus & nuntiat, se harum mentionem in appendice tomi I. Februarij ad Nonas facturum. Nunc phialæ lipsana explicemus. Sunt autem ea lipsana, puluis albus ex rubicundo non nihil lucidi habens palloris: item vitrea frustula octodecim, quorum dena depingi curauimus. Vitri fragmina pleraque tenui crustulâ in concauo latere vestiuntur, eâque subrufâ, sed quâ per vitrum in conuexo latere crustula tralucet, non nihil flauescente. Erant eæ crustulæ, cum primum lenticulam aperui & inspexi, crassiores: sed allisu (quæ mea est irreparabilis culpa) detritæ aliquantum sunt, quò factum est, vt puluis, sicut dixi, nunc tantillum rubescat, cum antea esset purissimi candoris.

Hunc autem puluerem esse ex ossibus S. Agathæ, credere oportet. Nam cū dubiushærerem, an terram seu arenam, an aliud quid esse dicerem, feci experimentum, & in vitro æque mundo, ac leui & terfo, puluisculi pauillum ferro obtuso & polito triui, nec stridorem vel minimum, admotâ licet attentissime auriculâ, edebat, vt terra vel arena solet, sed mollissime cedebat, & planè friabatur, quod ossibus cariosis & putribus contingit. Deinde, quamuis tenuem flatum aut halitum adhiberem, mouebatur tamen magnoperè facer ille puluis, certò argumento, ossæ potius leuitatis, quam terreæ grauitatis. Denique sanctus ille puluis, aère, vt credibile est, humido circumambiente lenticulam, duas aut tres quondam effecerat massulas, quod in osseo puluere, quam

in arenâ aut terrâ, fieri longe promptius est. Potuisset quidem ex adusti pulueris nidore certum ferri iudicium, si ex sacris illis reliquijs vel minimum quid igne absumi fuisset religio. Superiora porro experimenta non obstare videntur, quo minus idem ille puluis sit sanctæ virginis caro in cinerem redacta; nisi eiusdem pulueris candor ossa potius, quam carnem referre videretur.

Iam crustulæ subrufæ, hæud dubiè sunt sanguis fortissimæ virginis concretus, quem olim Christiani collegerant, & per religionem in phialâ vitreâ seruauerant, cuius phialæ partes sunt fragmenta illa octodecim. Constat autem S. Agatham sanguinem hæud semel in glorioso suo certamine fudisse, primû in equuleo, deinde in mammillæ sectione, tandem in testulis substratis; idque acta eius testantur, tum ea, quæ Metaphrastes edidit, tum antiquiora illa, quorum verba in libros nostrorum rituum translata legimus, exstantque in veteri codice cœnobij D. Maximini apud Treuiros, quæ D. Agatham cum Apostolo medicinam cælestem offerente ita locutam tradunt: *Ego verò licet puella sim, ita totum corpus meum laceratum est, vt vulnera ipsa non sinant aliquid stimulari in mente meâ.* Hæc porrò dixit egregia martyr priusquam in testis volutaretur, vt certum sit, eam tunc, cum in equuleo torta est, *vulneribus* illis affectam, ijsque tam multis, *vt totum corpus lacerum* ijs esset; præterquam quod vbera ei tum quoque defecta. Vnde vero tot corpori virgineo inflicta sint vulnera, planum est, primo ex consuetudine equulei, in quem extensi martyres, vngulis plerumque aut laminis candentibus excruciabantur, vt Gallonius in libro de SS. Martyrum cruciatibus, capite III. docet. Fazellus adhæc, grauis scriptor rerum Sicularum, I. decadis libro III. capite I. Diuam Agatham tradit ante mammillarum supplicium passam esse fidiculas, quas Baronius NN. ad martyrologium Romanum vngulas fuisse demonstrat. Laminis quoque ardentibus tortam, scriptum in breuiarijs nostris. Acta denique D. Agathæ à Metaphraste edita, verberatam in equuleo tradunt. Vnde habes multiplicem tot vulnerum causam, atque etiam intelligis sanguinem à S. virgine largiter & abunde profusum. At nunc eundem à Christianis collectum, age, ostendamus.

Atque id quidem generatim demonstrat mos Christianorum veterum, quo martyrum sanguinem diligentissime colligebant. Insignis est eâ de re locus Pontij diaconi in actis D. Cypriani Carthaginensis episcopi & martyris magistri eius, qui septennio post S. Agatham Catanæ in Siciliâ triumphantem, in Africâ Carthagine propter Christianam religionem comprehensus, ductusque ad prætorium, cum *post iter longum nimio sudore madidatus sederet*

(sed

(*sedile autem erat fortuito linteo tectum, ut & sub ictu passionis episcopatus honore frueretur*) quidam ex tesserarijs, quondam Christianus, res suas obtulit, quasi vellet ille vestimentis suis humidis sicciora mutari, qui videlicet nihil aliud in rebus oblati ambiebat, quam ut proficiscentis ad Deum martyris sudores iam sanguineos possideret. Acta deinde vetera, quæ Cæsar Baronius à notarijs condita censet, ita de S. Cypriano iam plectendo: *Linteamina verò & manualia à fratribus ante eum mittebantur. Quod alia acta explicatius: Fratres flentes linteamina & manualia ante eum ponebant, ne sanctus cruor desluens absorberetur à terrâ. Tanti enim, subdit Baronius, faciebant fideles sacras reliquias martyrum, ut sudoris, si possent, guttas haurirent, & stillas sanguinis, etiam persecutore vidente & inidente, atque exerto gladio minitante, quâlibet arte susciperent atque reconderent.* Huic porrò diligentia in feruando martyrum sanguine, debet ecclesia magnos hodie thesauros, de quibus Aringhus tomo & libro I. Romæ subterraneæ, capite XVI. *Qui sanè pretiosissimi sanguinis liquor è venis quondam scaturiens, immortalis eternoque Deo in suauitatis odorem ob fidei confessionem oblati, apud celeberrimas Vrbes & orbis ecclesias ad hanc usque diem summâ veneratione asseruatus, colitur.*

Sed ad S. Agathæ cruorem stylum referamus & quo pacto collectum esse à Christianis omnino censendum sit, videamus. Quia in re illud facile est, non fuisse opus arte aut industria ad eum suscipiendum, cum prona omnia essent volentibus id præstare obsequij, quod ex actis præclarè intelligitur. Scriptum enim ibi, cum sanctâ martyre in testis & carbonibus ardentibus crudelissimè volutatâ, terræ motus Catanam vniuersam concuteret, factam à populo concursationem ad secretarium Quintiani consularis Siciliæ, & cum tumultu clamantibus: *quid sanctam Dei famulam nimis cruciatibus fatigaret?* Quintianum autem, æquali penè metu inter terræ & ciuium motum hæsisse ancipitem, donec iussâ in carcerem reduci Agathâ, ipse per posterulam secretarij elapsus, *in ianuis populum dereliquit, impetum nempe in secretarium pro suâ Agathâ facientem.* Ex quo consequitur, magnum fuisse in S. Agatham populi fauorem. Qui fauor deinde continuatus est in virginis funere. Postquam enim famâ vulgavit, mortuam in carcere virginem, *populi venerunt cum festinatione, & tulerunt corpus illius, & posuerunt illud in monumento nouo; antea tamen aromatibus conditum.* Ecce, quam omnia procliuia ad collectionem sanguinis nostræ martyris? Neq; enim in multitudine ciuitatis tam sollicitæ pro martyre, *Sanctâ Dei famulâ, deesse potuerunt, qui vel in loco perpeffi supplicij, vel certè tum demum, cum sepeliendum sacrum cadauer aromatibus condiretur, sanguinem*

linreaminibus, aut spongijs congregarent; quod reipsâ factum esse, & mos veterum Christianorum, de quo supra differui, probat, & hic reliquus noster cruor testatur, qui modo fragmentis vitreis ampullæ concretus adhæret.

Fragmenta porrò illa octodecim diligenter sane & cum magnâ accuratatione à me inspecta sunt. Et fuisse vasis rotundi, aut rotundo proximi, ac minime rectis lateribus, aut plani, indicio est singulorum fragmentorum circularis cavitatis. Fuisse autem vasis sat magni, arguit cavitatis apertior sinus; vnde consequitur, fragmenta plurima desiderari; quæ si adessent, statui vtique certiora de ampullæ totius magnitudine possent. Nunc, si conijcere licet, pugnum virilem æquâsse videtur.

## CAPVT IV.

*Ampulla sanguinis martyrum per eorum sepulchra. Talis ampulla, cuius fragmenta insunt lenticula nostrâ; & in eam sanguis D. Agathæ mox sub eius supplicium collectus; nisi frustra recurras ad miracula sanguinis martyrum ex concreto liquefcentis. Ampulla nostrâ fragilitati, consultum soliditate lenticula.*

**H**Actenus de phialâ, cuiusmodi sit, quidque contineat, differuimus. Sequitur nunc, vt ostendamus, in illam ipsam ampullam vitream, cuius fragmenta sunt in nostrâ lenticulâ, sanguinem D. Agathæ mox sub eius martyrium fuisse impositum. Cui rei auctoritatem adiungit, quod in talibus è vitro vasis per martyrum sepulchra sanguis eorum aliquando inueniri soleat.

Scribit Pintus noster, libro III. de Crucifixo, titulo IV. loco XII. Turribus in Sardinia, se spectante, exhumata quamplurima SS. martyrum corpora, atque in vnus monumento repertam *bonam concreti sanguinis partem, in vitreâ seu crystallinâ ampullâ seruati*: in alio item, cum ossibus, *concreti sanguinis amphoram vitream*. Bosius in suâ Româ subterraneâ (quam Aringhus in suâ quoque complexus est) libro III. capite XXXIII. quo loco de cœmeterijs viâ Appiâ & Ardeatinâ à se repertis scribit, depingit vascula vitrea & figlina, alia acuminata & oblonga, alia longa & obtusa, omnia vno orificio, in quibus sanguis D. Gerardi, D. Amalphij, aliorumque martyrum continebatur. Exstant in cœmeterio Priscillæ per tumbas martyrum parietibus passim insertæ phialæ vitreæ, sanguine martyrum concreto plenæ. Harum aliquæ in Belgium nostrum allatæ sunt; & infusâ experimenti causâ à nostris hominibus aquâ, liquo-

liquorem rubrum ac sanguinolentum reddidère; quâ probatione in crustulis rufis fragmentorum ampullæ nostræ uti nolimus, quod opus non esset, cum crustulæ, ut antè dixi, aliquantum detritæ, puluerem, prius candidissimum, non nihil rubefecerint.

Sed prætermittendum non est, quod hoc anno MDCLVI. dum hæc prælo excuderentur, Roma scriptum est ab Henrico Rolino ad Virum venerandum Ioannem Dalborium, in amplissimo collegio canonicorum Episcopii cantorem. Die nimirum duodecimo aut decimoquinto ante VIII. Kalendas Apriles, quo die datæ litteræ, quendam agricolam forte ad Diui Laurentij extra muros, in monte mille & quingentis ab Vrbe passibus fodientem, incidisse maximam & cultè exstructam cauernam; cryptam, opinor, seu cœmeterium. Reperta ibi multa millia SS. Martyrum corpora, in tumbis exindurata calce compactis deposita, alia cum titulo nominis, alia absque titulo, sed vel addita palma, vel *vase vitreo sanguine pleno*. Atque hunc inæstimabilem thesaurum à S. D. N. Alexandro VIII. in lucem protrahijugentem sane materiam & venerationis, & studij antiquitatis sacræ.

Mos ergo ille recondendi in sepulchra martyrum sanguinem eorum, ampullis alijsue vasis exceptum, coniecturam præbet non improbabilem, vitrea fragmenta nostra, superesse ex simili aliquâ ampullâ, quam sanguine D. Agathæ plenam Christiani, dum eam sepelirent, in tumbam addiderint; id quod argumentando etiam euinci posse videtur. Quæro enim, si in aliâ vnquam ampullâ, quam in eâ, cuius fragmenta habemus, sanguis ille inuictæ martyris conseruatus est, manseritne in eâ liquidus ac fluidus, ut profundi postea potuerit, an verò in eâ concreuerit? Si prius, quâ id potuit absque ingenti miraculo? Si posterius, ergo, ut in hæc fragmenta diffunderetur, ex concretione liquefcere debuit, miraculo etiam maiore. Constat quidem talia prodigia fieri. Celebrantur in regno Neapolitano varia eius generis. Exstat Neapoli sanguis D. Ianuarij Episcopi Beneuentani & martyris: ibidem in æde D. Gregorij sanguis S. Ioannis Baptistæ: Rauelli in agro Amalphitano S. Pantaleonis martyris: Amalphi S. Vrsulæ. Qui omnis sanguis, in vitreis ampullis concretus, ferijs sanctorum illorum, alijsque temporibus, colliquescit, ut tradit talium collector Thomas Bozius, libro XV. de Signis Ecclesiæ Dei, capite X. Ante omnia autem nobilis mihi videtur ampulla cruoris S. Stephani protomartyris, quam Hierosolymis in Africam detulit Orosius presbyter Hispanus, historiographus ille, ut prodit Marcellinus comes. Huius ampullæ miracula ad Eudodum Vzalsensem episcopum duobus libellis quidam edidit, quorum priore traditur,



traditur, ostensam in somno illam ampullam religioſe cuiſiam mulieri, quæ eandem deinde inter manus presbyteri reipsâ viderit. Libenter verba auctoris ponam, quod magnoperè ad rem faciant: *ampulla quadam eidem demonstratur, intra se habens sanguinis quandam asperſionem, & aristarum quasi ossium ſignificationem.* Post hæc, addit: *Ampullâ sicut oculis suis vidit ancilla Dei in somnij revelatione, sic inter manus suas accepit sacerdos Dei in ipsius rei manifestatione.* Ecce tibi iunctim in vnâ ampullâ, sanguis martyris cum eius ossibus, quomodo & in lenticulâ nostrâ pulueri ossium D. Agathæ, sanguis eius per ampullæ frustula dispersus, coniungitur. Porrò ampullam istam sanguinis D. Stephani Gaudiosus episcopus, Vandalis Africâ vastantibus, Neapolim in fugâ exportasse scribitur, vbi hodieque in æde D. Gaudiosi, eius die festo, in aram prolata, sub sacrificium liqueſcit; quod prodigium vidit inter alios vir primæ fidei Franciscus Maria Tarufius cardinalis, dum se sacrificante, sanguis ex lapideâ duritie in guttas fluidas mollesceret, vt Cæsar Baronius scriptum reliquit, N N. ad martyrologium Romanum, III. Nonas Augusti.

Sed miracula talia sine causâ asserere, temerarium est. Maneat ergo veneranda fragmenta nostra, esse illius planè ampullæ, in quam mox proximè post supplicium S. Agathæ à Christianis cruor eius immiſsus est.

Hæc autem ampulla quâ ex causâ diffractâ sit, quis diuinet? Vitrorum commune fatum est, frangi tandem ac comminui; quod commune fatum ampulla quoque nostra accelerauerit insigni gracilitate suâ. Sunt enim fragmenta eius prætenuia, & vnguis digiti virilis crassitudinem vix superantia, vt minimo quouis casu vel impactu tot tamque minuta frustula ex ampullâ vnâ exstitisse, mirum non sit. Atque hæc ipsa frustula ne vtrâ comminui frangiue facilè possent, cauere voluisse visus est is, quisquis ea in lenticulam nostram indidit. Est enim hæc duplo, quam ampulla fuit, densiore vitro; sed in primis fundum habet mirè spissitudinis, præclaro inuento ac munimento aduersus casum. Cum enim corpora inæqualiter librata, si labantur, eam partem, quæ præponderat, primò deorsum mittant, sequentibus supernè leuioribus: hinc lenticula nostra, si caderet, fundum prægrauem & pollicari crassitudine densum, innoxie solo illideret, collumque & ventrem longe ab attritu sustineret. Et profuisse id artificium, ex fundi extimo apparet. Nam pars vitri permodica impactu aut lapsu inde excussa, lacunulam reliquit, cuius crepido aspera radit, si quid affricueris.

## CAPVT V.

*Sepulchrum S. Agathæ anno primo ab eius obitu, & saepe deinde, apertum. Anno DXCI. reliquia eius Romæ. Puluis ossium lenticula nostra à multis seculis vnà cum frustis ampullæ, sanguine eiusdem incrustatis, impositus. Id factum videri, vt in altari lenticula reponeretur. Ritus includendi altaribus sanguinem martyrum.*

Venio nunc ad puluerem ossium S. Agathæ. Et is quidem haud dubiè tum in lenticulam cum vitreis ampullæ frustis additus est, cum S. Agathæ venerandum cadauer in sacro eius sepulchro reiectum est; id quod non tantum anno proximo post mortem ipsius factum est, vt Bollandus noster in Februario suo, quem iam affectum habet, docebit, verum etiam sæpius deinceps, vt idem recte monet. Scribit Gregorius Magnus III. Dialogorum, capite XXX. in ædem Romanam regionis Suburræ ab Arianis profanatum, se reliquias D. Agathæ intulisse, maximis secutis ope diuinâ prodigijs; quod Baronius refert ad annum DXCI. Certè eodem anno, indictione IX. idem Gregorius, epistolâ LII. libri I. mandat Ioanni Surrentino episcopo, vt ad monasterium D. Stephani insulæ Cabris adiret, ibique reliquias, seu vt ipse vocat, *Sanctuarium* D. Agathæ, prout Sauinianus abbas rogauerat, collocaret; si tamen mortuum eò loci corpus nullum humatum esset. Oportet itaque antè illa ad eò tempora reliquias D. Agathæ ex tumulo eius exemptas. Profectò lenticulæ supra demonstrata antiquitas argumento est, à multis retrò seculis id factum.

Quem autem in vsum puluis ille ossium, & reliquiæ sanguinis D. Agathæ in lenticulam collectæ sint, probabili coniecturâ exponere conabor.

Reliquias sanctorum altaribus recondi, mos est omnium pene à Christo passio seculorum. Sed olim singillatim addi solere martyrum sanguinem, id minus fortasse hætenus animaduersum est. Diui tamen Ambrosius & Paulinus locupletes eius rei testes habentur. Iuliana, matrona religiosa & nobilis, basilicam condiderat Florentiæ, vt exactis D. Ambrosij à Paulino compositis, rectè docet Sigonius, libro de Episcopis Bononiensibus, Eusebio. Eam basilicam dedicauit D. Ambrosius, atque in altaria basilicæ reliquias SS. martyrum Vitalis & Agricolæ, vnà cum eorum sanguine, reposuit. Et de sanguine illo quidè ita scribit, libro de Hortatione ad virgines: *Collegimus sanguinem triumphalem*; Ipso enim præside & velut operis duce corpora sanctorum Vitalis &

C

Agri-

Agricolæ martyrum Bononiæ inuenta fuerant. Addit subindè: *Munera itaq; salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus conduntur.* Sed Paulini locus peregrinus est, epistola XII. ad Seuerum. Quem cum comperisset Primuliaci cogitare condere basilicam, si modo Apostolorum & martyrum reliquias nancisci posset, quas altari imponeret, misit ei Crucis sanctæ portionem, & addidit carmentale, altari inscribendum.

*Diuum veneranda tegunt altaria fœdus,  
Compositis sacrâ cum cruce martyribus.  
Cuncta salutiferi cœunt insignia Christi,  
Cruce, corpus, sanguis martyris, ipse Deus:*

Aduerte hic, quaeso, animum. Martyrum reliquias sperabat Seuerus: Paulinus S. Crucis segmentum miserat. De his ergo tantum carmen suum condere debuerat Paulinus. Et tamen, *sanguinem quoque martyris* aræ imponendum cum ceteris, comprehendit. Quorsum hoc, nisi, quod more receptum esset, aris sacrum cruorem martyrum imponere, quodque sciret fore ut hunc etiam morem Seuerus custodiret? Quod ex eo quoque arguitur, quod Paulinus *ipsū Deum* in arâ Primuliacensi seruandum canit. Nam quin per *ipsum Deum*, venerabile Sacramentum intelligendum sit, nemo dubitat sacræ antiquitatis peritus. Quare ita Paulinus accipiendus est, ut carmen suum de S. Crucis parte à se missâ, & Apostolorum seu martyrum reliquijs à Seuero speratis, & in arâ Primuliacensi, si obtinerentur, recondendis, propriè & præcipuè scribere debuerit, aut scripserit: quoniam tamen solebat in arâ seruari quoque Christi corpus, idcirco non potuisse illud non includere suo carmini: atque ut eâ de causâ S. Eucharistiam versu suo comprehendit, quod in altari more recepto seruaretur, ita quoque *sanguinem martyris*, velut quodam fœdere cum reliquijs connexum, in carmen suum conferre debuit, quod & is in aris, sacrandis deponi soleret. Quare, cum probabilis sit vetus ille ritus, de sanguine martyrum in aras imponendo, cumque constet præcipuè fere notæ reliquias in altarium, uti vocant, *sepulchra*, olim depositas, opinari possumus, ideo sanguinem D. Agathæ, fragmentis ampullæ vitreæ aspersum atque concretum, nec non puluerem ossium eius, in hanc lenticulam nostram olim collecta, ut aræ alicui dicendæ pro more solenni imponerentur. Verum ubi locorum ara illa exstiterit, quando inde lenticula nostra exempta sit, quis diuinet; præfertim cum nec exploratissimum sit, an ea vnquam in altari aliquo, quod probabiliter opinabamur, reposita fuerit.

Fortè propius vero erit conijcere, quomodo has in regiones aliquando perlata sit; quam rem capite sequenti experiar.

## CAPVT VI.

*Laguncula vitrea fracta ex alterâ lipsanothecâ Machariacensi. Hæc superiori lipsanotheca, in quâ lenticula S. Agatha, plane similis. Laguncula alia Belreperiana, eius forma, quâ est fracta Machariacensis. In utrâque oleum S. Catharinae. Id ex monte Sinaj videntur attulisse proceres Belreperiani S. Catharinae deuoti. Idem lenticulam S. Agathæ ex itinere Palaestina reportauerint. Quando id videatur factum?*

**Q**VI mihi lenticulam hanc S. Agathæ donauit, Vir venerandus Carolus Rachtius, idem deinde pro suâ humanitate addidit lagunculam exilem reliquiarum, sed quod maximoperè dolendum, supernè effratam & titulo carentem. Materia eius vitrum imprimis castigatum, vt crystalli speciem præbeat: colos, purpura multum diluta; extrâ fundum, qui densior, pyropi in modum gratissimè rutilat: venter in ambitum extentus, sed mediâ regione retrusus & complanatus in pisi modici crassitudinem. Figuram eius ~~de~~ cum ceteris phialarum imaginibus. Intus hæret grumus magnitudine ciceris, atque hinc inde per latera maculæ coloris subflauæ & fusci quale & fundi sedimentum. Hæc porrò laguncula, non ex eâ, quæ D. Agathæ reliquias continebat, lipsanothecâ desumpta est, sed ex aliâ planè consimili & geminâ. Artificium quippe vtriusque vnum est: in utrâque dispositi per certa interualla vnus formæ & structuræ puluilli: tituli in utrâque pares, vnâ eâdemque manu exarati. Ex quâ tantâ lipsanothecarum similitudine pro haud dubio colligebam, ab vno artifice eodem tempore factas, iisque vnâ operâ inditam vtramque phialam. Quo fit, vt credibile admodum sit, vtramque vnus esse munus, vno à loco profectû; quod & sequentia magis patefecerint. Quare, si vnde earum altera allata sit, ostendero, id quoque intelligar perfecisse de alterâ. Quid si igitur argumentis valde probabili demonstrauero, laguncula fracta, purpurea, titulo destituta, quæ in alterâ lipsanothecarum fuit, vnde Machariacum peruenit? Age, id connitamur.

Hæc laguncula quoniam erat absque titulo, tanto acrius incussit desiderium, quid ei inesset, explorandi. Primò igitur inieci aquam. Quæ cum grumum, quem dixi, & fundi sedimentum leuiter alluisset, apparuit prorsus ille tinctus, qui est marcidis Autumnis folijs & iam iam arescentibus. Sanguinem esse

esse concretum, propè aberat, vt opinarer, nisi grumus ille post lotionem croceus, aquam constanti duritie respuisset. Hærenti mihi inter has probationes, fortè Christophorus Wilthemius noster retulit, visam sibi nuperrimè in templo parœciæ Belreperianæ (est Belreperium arx cum municipio, vix primo lapide à Machariaco; *Berpurgum* dicimus) lagunculam cum titulo reliquiarum olei S. Catharinæ virginis & martyris de monte Sinaj: lagunculam esse huic nostræ æqualem & consimilem. Quæ cum ita accepissem, lagunculæ illius iconem Belreperio petiui; quam deinde in æneam tabulam incidi, vnaque cum imagine lagunculæ nostræ excudi curavi; quarum formas vides sibi inuicem absolutissime respondere; nisi quod è densiore fundo nostræ pars excussa, lacunam reliquit, fabæ dimidiæ capacem. His ita se habentibus, grumum, quem dixi, ex lagunculâ Machariacensi exemi, si fortè nidor oleum, quod suspicabar, ostenderet. Nec falsus sum, sed planissime olei rancidi odor se se prodidit, & grumus antea durus & irresolubilis, in pingue tenacem materiam cessit. Tum ergo exploratè intellexi, hanc quoque nostram lagunculam, illi, quæ in Belreperiano templo, tam vicinam, tamque per omnia geminam, oleum quoque S. Catharinæ continere oportere. Quoniam autem vtraque laguncula, & Belreperiana, & Machariacensis, tam loco vicinæ & formâ tam similes, oleum D. Catharinæ continerent, hinc argumentabar, haud dubie vtramque vnius esse donum. Sed quis donator ille? Sit huic quoque quæstioni locus.

Scribit Cæsarius Heisterbacensis octauo Dialogorum, LXXXVI. capite de reliquijs nonnullis D. Catharinæ oleo stillantibus, moxque addit: *Sed quid dicam de guttâ, cum eius sacra tumba, sicut hi, qui in instanti de Sinâ venerunt, testantur, oleo sit repleta? viderunt enim caput eius cum capillis & ossibus natâre in oleo: de quo cum à monachis loci diuersa vascula sacri liquoris reciperent, tam nobis, quam ceteris religiosi reuertentes eadem pro benedictione diuiserunt.* Vides monachos Sinaitas diuersa vascula sacri liquoris reuertentibus donasse, quorum vasculorum tam Cæsarius, quam ceteri religiosi facti sint participes. Fuit autem Cæsario multa cum Treuirorum alijsque nobis finitimis monasterijs consuetudo: multa etiam cum viris nostræ & Treuirensis prouinciæ nobilibus, vt in Dialogis, qui exstant, & in supplemento, quod nondum editum, sed truncum aliquot capitibus habemus, passim videre licet. Iam hinc procliuis coniectura est, vel Cæsarium horum vasculorum aliqua donasse proceribus Belreperianis, vel certe ipsos potius Belreperianos proceres pro more virorum equestrium in Palæstinam profectos, aditoque per venerationem monte Si-  
nai,

naï, ibi à cœnobitis vascula accepisse, & deinde reduces, Cæsario ceterisque distribuisse, parte aliquâ reseruatâ, quam tum domi, tum in vicino Machariaco, per templa parœciarum diuiderent, vnde sint hæ modo S. Catharinæ oleo venerabiles lagunculæ.

Quæ omnia si speciem veri habent, probabilis quoque erit consequentia, lenticulam nostram D. Agathæ, quam ostendimus à superioribus Machariacensi & Belreperianâ lagunculis esse inseparabilem, tum quoque allatam ex itinere Palæstinæ, ad quam tota olim Europa per omnia maria, omnes insulas & portus effusa, ingentes reliquiarum thesauros reportauit.

Fuit autem Belreperianagens sanè prænobilis, eiusque proceres iam inde ab annis amplius quingentis hos in tabulis antiquis reperiēbam;

*Anno MCCXCII. Arnoldus de Rupe & Cono de Belrepere frater eius.*

*MCCXXXIII. Wiricus de Beaurepaire.*

*MCCXXXIV. Idem.*

*MCCXXXVI. Idem.*

*MCCXXXVIII. Idem.*

*MCCXLIII. Idem.*

*MCCCLV. Hugo miles de Berpurg, & Wiricus dominus de Berepaire, idem qui supra.*

*MCCCLXXXIX. Ioannes de Biaurepaire.*

*MCCXCVIII. Idem.*

*MCCCIX. Idem & Wiricus eius filius.*

*MCCCX. Idem Ioannes.*

*MCCCXIV. Idem Ioannes & Wiricus.*

*MCCCXV. Wiricus de Berperg, Ioannis, ut videtur, filius, Iustitiarius nobilium comitatus Luciliburgensis.*

*MCCCXXXVII. Wiricus dominus in Berperg, armiger.*

*MCCCLI. Wiricus dominus de Berpurg, Iudex nobilium comitatus Luciliburgensis.*

*MCCCLIV. Idem.*

*MCCCLVII. Idem.*

*MCCCLIX. Idem.*

*MCCCLXII. Wiricus de Berperg, miles, sepultus Epternaci in adiculâ S. Catharina; de quo infra.*

*MCCCLXXII. Wiricus dominus in Berperg.*

*MCCCLXXV. Idem.*

Hi ergo hæctenus inueniuntur ex gente illa prænobili, in quâ deinceps Gudahares, enupsit in Gimnichianam stirpem æquè nobilem. Sed nõ est prætereundum, quod Wiricus de Belreperio Epternaci, propè ab arce suâ, in ædiculâ D. Catharinæ situs est. Ædicula enim illa sub annos MCCXXXI. & MCCXXXVIII. originem accepisse videtur. Nam tabulis Epternacensibus anni MCCXXXI. traditur, Gisilbertum militem & fratrem eius Thomã, & filios fratris eius Ludouici defuncti, Gisilbertum & Godefridum, vendidisse abbati *mansum* vnum Kefinganum pro sacello S. Catharina. Alijs item anni MCCXXXVIII. Thomam nobilem virum de Petrâ, eiusque coniugem Aleidem, probantibus, filio Thomã, & filiabus Margaritâ & Idâ, & fratribus suis Theofrido & Eliã, *allodium* Geigense donasse altari S. Catharina Epternaci. Procæres deinde Belreperiani ædiculam illam præcipuâ religione & liberalitate profecuti sunt, vt in tabulis ac monumentis Epternacensibus videre est.

Anno MCCCXXXV. *Wiricus domicellus de Berperch*, cum Iuttâ coniuge, pro *amâ vini & modio grani*, quæ auus & pater eius, ambo *Wirici de Berperch*, monasterio Epternacensi in parentalia annua donauerant, modios duos filiginis decernit.

In ædiculâ item D. Catharinæ situs est, vti diximus, *Wiricus de Berpergh*, hoc epitaphio:

ANNO. DOMINI M. CCC. LXII. DIE PARASCEVES. OBIT DOMINVS WIRICVS. DE. BERPERGH. MILES. CIVIS. ANIMA. REQUIESCAT. IN. PACE. AMEN.

Anno MCCCLXXIX. *Guda de Hoënberch*, domina in *Berpurch*, denos modios, quâ filiginis, quâ frumenti, donat altari S. Catharina Epternaci, imperatque sacrificium hebdomadarium.

Anno MCDXLV. *Gudela de Baderko*, domina in *Berperg*, nobilis viri *Erhardi de Gimnich domini in Berpurg* relicta vidua, addit filiginis modios V. florenos *Rhenenses* V. memoratque, *Gudam de Hoënberg*, & *Iohannettam de Rodemacher*, nobilium virorum *Wirici* patris, & *Wirici* filij eius, *dominorum in Berpurch* relictas viduas, altare S. Catharina Epternaci annuo reditu donasse.

Denique in eadem ædiculâ tumulus est tali titulo:

ANNO. DOMINI. MDXXXIII. XXI. DIE. NOVEMBRIS. OBIT. ILLVSTRIS. DOMINA. ELISABETH. DE. NOVO. CASTRO. COMITISSA. IN. MANDERSCHIEDT. BLANCKENHEIM. D. IN. SCHLEIDEN. CASTRO. SUPER. MOSELLAM. CRONENVRGH, ZOLVIR. ET BERBVRGH, CIVIS. ANIMA REQUIESCAT. IN. PACE.

Ex

Ex quibus utique apparet, fuisse in gente Belreperianâ cultum aliquem præcipuum S. Catharinæ, cuiusque oleum ex monte Sinaj proceres eius familiæ quondam attulisse, prout diuinabamus. Iisdem autem proceribus de viâ Siciliam fortè aliâue loca adeuntibus, facile fuit ibi reliquias nostras S. Agathæ pro auctoritate suâ impetrare, & patriæ inferre.

Atque ut tempora quoque his coniecturis sua accomodemus, scripsit dialogorum libros Cæsarius anno fermè MCCXXII. Eum enim annum libro X. capite XLVIII. *presentem* vocat; & in capite I. supplementi ista verba posuit: *anno gratiæ MCCXXIII. circa Pentecosten contigit, quod dicturus sum.* Redièrè autem ex Palæstina qui olei D. Catharinæ vascula Cæsario alijsque attulèrè, *in instanti*, ut ipse ait, hoc est, nisi fallor, eodè, quo Dialogos condebat, anno.

Quare, cum probabiliter disputauerimus, lenticulam D. Agathæ indidem profectam, vnde diffracta Machariacensis laguncula: cum deinde huius consimilem, & ut ita dicam, sororem geminam esse illam Belreperianam, seruatricem reliquiarum D. Catharinæ, haud minus verè ostenderimus: cum postremo hæ eiusdem D. Catharinæ oleariæ lagunculæ planè sub annum MCCXXII. à Belreperianis toparchis ex Palæstina huc delatæ esse videantur; reliqua est conclusio, ut iisdem latoribus, eodem itinere, eodem tempore lenticula nostra D. Agathæ in has oras peruenerit.

Et temporum quidem alia non leuis accedit nota, quod reliquię lipsanothecarum Machariacensium, vnde phialę nostrę desumptę sunt, suis inuolutis à nobis explicatę, atque apertę, titulos alios internos præferebant, eo caractere & litterarum forma scriptos, quo circà annum MCCXXII. utebantur.

Supereft nunc, ut de lenticulę titulo differamus.

## C A P V T VII.

*Quando constructa lipsanoteca Machariacenses? Inscriptio lenticula non mutata à constructoribus lipsanothecarum, sed ex antiquitate retenta. Commendatio reliquiarum nostrarum S. Agathæ.*

**S**chedia externa membranacea tam lipsanothecarum, de quibus supra scripsi, quam lenticulæ nostræ modo addita, litteras habent ducentis ab hinc annis exaratas, ut facile est deprehendere ex veterum eius ætatis librorum scripturis. Quæ res demonstrat lipsanothecam, ex quâ lenticula decerpta est, ante totidem annos esse compositam, titulis tamen, ut necesse est, ex antiquitate descriptis & retentis. Quod exinde quoque intelligo, quod *virgo* tantum, & non etiam *martyr* S. Agathæ inscribitur; more scilicet antiquo,

cum



cum moribus nostris *virgo & martyr* appellanda fuisset. Ita passim ephemerides sacræ & martyrologia nostra *Virginem & martyrem S. Agatham* ab hinc seculis duobus aut tribus ferè nuncupant. At secus vetustissimi libri. Martyrologium antiquissimum Maximinianum, quod prisco ritu à Natali Domini exurgit, estque breuissimum, & subinde notis, quæ Tironis nomine circumferuntur, exaratum: *NON. FEB. Passio S. Agathe virginis & ordinatio S. Andreae.* Item: *III. ID. IVL. In Sicilia, ciuitate----- natalis S. Agathe virginis. Namoris.*

Martyrologium, quod pro Romano illo veteri edidit Rosweidus noster; *NON. FEB. S. Agathe virginis apud ciuitatem Catanensium.* Martyrologium aliud Maximinianum, Rhabani creditum: *Apud Siciliam, ciuitate Catanensium, passio S. Agathe virginis.* Ado; *In Sicilia ciuitate Catanensium, passio S. Agathe virginis.* En, vt vbique S. Agatha virgo tantum inscribitur. Quanquam non ipsam solum, verum & alias præterea virgines & martyres, titulo dumtaxat *virginis* antiquitus cohonestari solere, plurimis doceri potest exemplis. Vnde iam habet auctoritatis abunde, quo non tantum vetustatem suam insignem vel maximè declaret, sed etiam quo aduersus imperitiores se tueatur lenticulæ nostræ hic titulus: *De S. Agathæ virginis.* Scriptus enim est antiquissimo more, quo virginibus martyribus, *virginis* tantum vocabulum apponi solebat.

Atque ex his tandem, opinor, intelligis, quanta sit lenticulæ nostræ præstantia, quam summa commendat antiquitas. Antiquitas autem auctoritatem, auctoritas fidem, fides venerationem ei conciliat, vt modica quamuis sit, nec plus sacri pulueris contineat, quam nucis auellanæ putamen caperet, & pauca insuper vitrea, sancto incrustata sanguine fragmenta includat, maximo tamen cultu dignissima sit. Quod perpendens Reuerendissimus D. Otho episcopus Azotensis, Treuironum archiepiscopo suffraganeus, publicam venerationem harum S. Agathæ reliquiarum meo rogatu, vt supra dixi, probauit, secutus eâ in re SS. Patrum grauissima semper de sacris reliquijs, quantumcunque tenuibus & modicis, iudicia. Quo in genere, cum pleni sint libri, locos tres, alterum de sanguine, alterum de puluere, tertium de ossibus martyrum, coronidis vice, apponam. *Martyrum vel sola sanguinis gutta,* inquit D. Gregorius Nazianzenus, oratione I. in Iulianum, *atque exigua passionis signa, idem possunt quod corpora.* D. Paulinus Nolanus, Natali IX. de S. Felice:

*Magna & in exiguo sanctorum puluere virtus.*

Walo Lutetiæ Parisiorum episcopus, Romam S. Priscæ martyris referens,

Lug-

Lugduni S. Anselmum Cantuariensem episcopum offendit. Ibi tum aderat Eadmerus, actorum S. Anselmi scriptor. Cui cum Walo addixisset tantum de sacro osse, quantum vno conatu posset refringere, cumque minimâ reulsâ particulâ, vt iterum id sibi liceret, summopere peteret, tum Anselmus, *noli*, inquit, *noli*. *Quod habes, sufficiat tibi; quia pro toto auro, quod Constantinopoli ultra citraue habetur, non omitteret domina ipsa, cuius est, quin illud sibi vindicaret in die resurrectionis sanctorum. Quamobrem, si debitam illi reuerentiam exhibueris aque suscipiet, ac si toti corpori eius exhiberes.* Insignem locum gaudeo eodem tempore, quo hæc commentabamur, præclaris quoque suarum reliquiarum estimatoribus, in memoriam venisse. Ceterùm eandem ego mentem esse credo S. Agathæ, quam Anselmus censebat esse S. Priscæ, & has sanguinis sui crustulas ac ossium suorum puluisculos, contrâ omne, quod pretiosum excogitari potest, caros habere. Hæc tanta miseris nobis concredita pignora, repetet olim fortissima virgo, vt impleat maiestatem gloriosi corporis sui. Nos cultum interim suppliciter adhibentes, te, ô bona, & verè Agatha, infimis precibus rogamus, vt intercessione tuâ, quoniam virgo es, casti, quoniam martyr, fortes, quoniam sancta & beata, inculpati & eternum felices vnâ tecum esse mereamur.

*Ad maiorem Dei Sanctæque Agatha virginis &  
martyris gloriam.*

*Imprimatur.*

IOANNES HOLLER OFFICIALIS TREVIRENSIS.


2. ACADEMIE DISSERTATION.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.















Tom VII  
1590  
Acta s. Jacobus  
De Cerevisijs  
De Vino  
Micrologium

1.9.

Th  
3186